

# ALBERTUS ABBA MICIACENSIS.

## NOTITIA.

MABILL. *Annalect.* nov. edit., pag. 430.)

Albertus abbas monachum induerat in cœnobio Gemeticensi, et patet ex subjecto ejus intrumento, in quo Arnulfum, Turonensem archiepiscopum, filium suum vocat. Fuerat ergo conjugatus antequam monachus initiaretur. Parentes ejus eidem instrumento subscribunt. Miciacum seu S. Maximini abbatia, vulgo *Saint-Mesmin*, prope Aurelianos, nunc Fuliensem. Epistola sequens exstat in codice Pithœano inter epistolas Abbonis Floriacensis.

## ALBERTI

AD JOANNEM XVII PAPAM EPISTOLA.

*De antiquitate et solito numero monachorum monasterii Miciacensis.*

(Exstat supra inter epistolas S. Abbonis tertia decima hujus tomi coi. 459.)

---

## ALBERTI CHARTA.

QUA

*Prædia quædam cœnobio Gemeticensi, in quo monachum induerat, confirmat.*

In nomine Christi, ego Albertus, abbas abbatie sanctorum Stephani protomartyris et Christi confessoris Maximini, notum volo fieri cunctis curam gerentibus sanctæ Dei Ecclesiæ quia antequam ordinem suscepissem monasticum, erat mihi quidam alodus ex materna hæreditate, non ex alicujus beneficio, quem sancto Petro in Gemmetico monasterio, ubi habitum suscepi, dedi pro remedio animæ meæ filiique mei Arnulfi Turonensis archiepiscopi, et parentum meorum, ut sanetus supradictus intercessor sit pro nobis apud Deum. Est autem ipse alodus in pago Bellemensi, quem vocant Domna-

Maria, quem sancto Petro dedi cum appendiciis suis. Jussi autem fieri hæc chartam, ne aliquis post me possit sancto Petro abstrahere. Quod si aliquis præsumpserit, cum Juda proditore. Anna et Caipha damnationem accipiat. Hæc autem chartula ut firmior sit, eam subter firmavi, et parentibus meis corroborandam obtuli. S. Alberti abbatis. S. Radbodi Saiensis episcopi. S. Arnulfi Turonensis archiepiscopi. S. Ribaldi. S. Gisleberti. S. Roberti regis. S. Willelmi Bellemensis. S. Richardi comitis Normannorum.